

v^o 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.



15

I. N. J. A.

INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. B. Chemnitii,

DISPUTATIO XIV.

Ex quâ
DE

PRIMO GENERE COMMUNI-
CATIONIS IDIOMATUM,

Praside

JOHAN-BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.

Licentiato, Profefs. Publico & ad D. Thomæ
Ecclesiasse ;

Respondente

M. ÆGIDIO Müllern/Lipsiensi.

Die 30. Novembris, Anni 1648.

disputabitur.

LIPSIAE,

Typis HENNINGI CÖLERL



VIRIS.

Reverendis plurimum, Clarissimis, & Excellen-
tissimis,

Dn. ANDRÆKU- & Dn. CHRISTOPHO-
NADO, RO BULÆO,

SS. Theol. Doctōribus celeberrimis,

Ecclesie

GRIMMENSIS, & WURZENENSIS,

Pastoribus meritisimis,

Nec non

VICINARVM

Superattendentibus Vigilantissimis,

Dnn.

Patronis & Promotoribus suis

etatem devenerandis,

Exercitium hoc Theologicum

L. M. Q.

dicat & offert

RESPONDENS.

Ad Præstantis. Dn. Respondentem,
Competitorem suum suaviss.

Rem prædicamus, omnibus miraculis
Sublimius miraculum:
Dei Parentis æqua, nec minor Patre,
Imago, de Deo Deus,
Quem metuit orbis, contremiscunt sidera,
Obnupti adorent angeli,
Occisus ille, proprioque sanguine
Mercatus est Ecclesiam.
Non fluxit ichor, cæculus qualem Deos
Stillare vates somniat;
Fudit cruorem, qualis è cujuslibet
Scatescat hominis vulnere.
Hæc dum docendo nos in affixum cruci
Numen fatemur credere,
Apellanos subsannat; asinos Ethnicus,
Et Cretas appellat novos,
Quorum protervis victa falsimoniis
Creta esse mendax desinat,
Cum nostra nihilo melior ementitio
Jovis sepulchro sit fides;
Quin ipsa nos, Ecclesie titulum involans,
Nasutulorum concio,
Insanientis arguit sapientie,
Pingvis Minervæ filios.
Quid inde tandem? Rideamur, Ægidi,
Cras si audiamus, & rudes,
Dum per cachinnos & furores omnium
Fruamur hoc solatio:

Quod

Quòd sanguis ille, quem fuisse hominis patet,
Ipsissimi fuerit Dei.
Nisi fuisset, hominis ab nudi cruor
Careret omni pondere.
Hanc ergò tende mordicùs defendere
Communionem Proprii,
Mullere, certo fultus auxilio Dei,
Carpzovioque Præsìde.
Hora moriendi veniat, huic sententiæ
Olim iurabit immori.

M. Jacobus Thomasius, Phil. Fac,
& Scholæ Senat. Colleg.



ARTIC. I.

De

Primo genere Communicationis
Idiomatum.Disp. XIV.
Respond. M.
Ægidio Müller,
Lips.

I. *Primum Genus Communicationis, sua peculiaris habet nomina Chemn. p. 81. a.*

§. 1.

IN *Scriptura* res ipsa huic Generi substrata, exposita quidem sufficienter est, uti in *seqq.* cognoscemus, sed *Ecclesie Doctores* melioris intelligentiæ causâ, uti distinxerunt genera, ita etiam certis nominibus ea designarunt.

§. 2. Vocabulum *Communicationis* quia non specificum est, sed commune omnibus *Communicationis Idiomatum* speciebus, ideò propriis suis nominibus id insignire voluerunt *Patres*. *Nazianzenus* appellavit *ἰδιωματικῶν ὀνομάτων*, eò quòd sicut naturæ, ita etiâ enunciationes uniantur ad unam personam. *Cyrillus* vocavit *ἰδιοποιῶν* vel *ἰδιοποιῶν*, quia id, quod uni Naturæ proprium est, tota persona vindicet sibi ac propriū faciat, cuius nomenclationis vestigia etiam apud *Athanasium* habentur. *Theodoreus*, *ἐναλλαγῆ καὶ κοινωσίαν ὀνομάτων alternationem & communicationem attributorum in Persona*. *Damasceus*, *ἀλλοίωσιν καὶ αἰτίωσιν*. *Vigilius*, *Communione*.

§. 3. In *Scholis* usitatè *Communicatio Idiomatum* hoc Genus appellari, solitum est, quod aliquoties notavit *Chemnitius c. XIII. p. 81. b. c. XIV. p. 81. a. c. XVII. p. 105. b.* Benè autem monuit idem, nomenclationem hanc non esse adeò antiquam, sed à *Scholasticis* primùm fuisse conflatam ex diversis *Veterum* sententiis *p. 82. a. 2.* non exclusivè eam debere accipi, ut cæteris *Generibus* *Communio* hinc derogetur, *p. 82. a.*

§. 4. Non tamen negamus in hoc genere præprimis *Idiomatum Communicationem* conspicuam esse, ideòq; præ cæteris etiam hoc nomen ei tribui, tum propter *alternationem & reciprocationem*, quæ

A

in

in tertio Genere non datur, tum propter operationes in secundo Genere, quæ propriè dicta Idiomatica non sunt. Unde Chemnitio non displicet, si nonnulli hos gradus ita distingvant, ut *Primum, Genus*, appellent *Communicationem Idiomaticam*; *Alterum, Communicationem Operationum*; *Tertium, Communicationem Majestatis*, quod etiam *Gravver. in Arc. III. A. C. p. 44. seqq.* fecit.

II. Communicationis Idiomaticum primum Genus est, quando proprium unius naturæ seu uni naturæ conveniens formaliter, communicatur Personæ in Concreto h. e. vocabulo, non naturas ipsas in abstracto, sed personam significante, c. XII. p. 78. a. c. XIII. pag. 84. b.

§. 1. Ante omnia circa subjectum hujus Generis adverti debet, istud esse Personam, quod benè observarunt *Dnn Theol. Saxon. in Apolog. contra Tubing. Sect. 2. c. 6. p. 228.* quæ non est tertium quid à naturis realiter distinctum, sed ipsa duæ naturæ unitæ, *ὅν ἐστὶ ἐτέρω ἄπερον, ἀλλ' ἐστὶ ἐτέρω ἄπερον* ut *Damasc. l. 2. c. 7.* explicat.

§. 2. Hæc Persona non est subjectum Nominale, ita ut nominetur quidem totum suppositum, sed intelligatur tantum Una natura, quando sive humana sive Divina prædicantur; verum est Reale ita ut totum suppositum sit terminus hujus Communicationis, & nullo modo Propositio hæc: *DEVS est passus*, resolvi possit in hanc: *Humana natura in Persona Filii DEI subsistens patitur. Aliud n. Humana natura in Persona est, & aliud DEVS ac Christus.* Non prius sed posterius pro subjecto supponit in hoc genere. Id quod contra clancularios & apertos Sacramentarios, perniciosum suum errorem sub hoc Genere occultantes, *Form. Concord. p. 744. §. Cum autem & occulti,* notavit & pluribus explicavit *Gerhard. in Exeg. §. 188. p. 1332.* Videantur etiam *Cautela circa primum genus à Dnn. Theol. Saxon. in Apolog. contra Tubing. Sect. 2. c. 6. p. 228.* annotata.

§. 3. Hoc subjectum dicitur reale Communicationis subjectum non tantum, quia verè ac realiter DEVS & Homo est, sed etiam propter

pter modum Communicationis realem inter *subiectum & prædicatam* intercedentem, quod hodiè, ad *insidias Calvinisticas* rectè agnoscendas, est in hac doctrina probè agnoscendum. Non enim *subiectum* tantùm quod seu cui communicatur, verum ac reale est, sed etiam quatenus participat de prædicatis & illa ei communicantur, eatenus realitas illa credenda & agnoscenda est. Illa persona enim, de qua v. g. prædicatur *effusio Sanguinis*, non tantùm verè ac realiter DEUS ac Homo est, sed etiam verè ac realiter *effudit Sanguinem*. Nimirum *modus Communicationis & participationis* hujus sequitur Unionem, de quo §. 8.

§. 4. Etsi verò *subiectum* semper sit *Concretum*, tamen non in omnibus prædicationibus, quibus Scriptura S. hanc communicationem exponit, æquè id appellatur, modò enim *ab una Natura* denominatur sive *Divinâ* sive *Humanâ*, ut *DEVS, Filius DEI, Homo, Filius Hominis*; modò *ab utraq; Natura, Christus*, quod passim *Chemnitius*, imprimis p. 85. & 86. annotavit. Hinc factum est, ut nunc loco *subiecti* in Propositionibus hujus Generis stet *Christus*, quod vocabulum à nonnullis *Concretum Personæ* vocatur, nunc vicem *subiecti* subeat *DEVS, Filius DEI, Filius hominis*, quæ vocabula *Concreta nature* nuncupari solent.

§. 5. Hoc advertentes genuini *Discipuli Domini Chemnitii*, primum hoc genus subdiviserunt, & alii quidem in duos modos, alii verò in tres modos, id distinxerunt. *Primus modus* ipsis appellatur *συν-αμφοτερισμός*, & est, quando de *Christo* h. e. de *Concreto personæ*, quæ est *DEUS & homo*, prædicantur, tùm *Divina*, tùm *Humana*; alter verò *ἀλλοίωσις ἢ ἀντίδοσις* nominatur, quâ proprietates Unius naturæ, alteri naturæ unitæ reciprocè tribuuntur, in *Concreto tamen*, ut de *DEO humana*, & de *Homine Divina* prædicentur. Alii addunt *ἰδιοπίαν* s. *ἰδιοποίησιν*, strictè sic dictam, quâ *Filius DEI* assumendo *Carnem*, omnia quoq; quæ carnis sunt sibi ipsi appropriavit, unde & est & vocatur *DEI Sanguis, DEI passio, DEI vulnera, DEI mors &c.*

§. 6. Non diversi sunt hi à *Chemnitio*, sed melioris intelligentiæ & doctrinæ causâ, ea quæ *Chemnitius* tradidit, ita distinxerunt. & in membra sua retulerunt, præsertim hodie ubi *Nestori-*

zantium agmen crescere viderint. Nam ut Menzerus in *Disp. XI. T. V. Marburg. §. 10.* iudicat, συναμφοτερισμός non tam felix impugnatrice Nestorianæ impietatis est, atq; ἀλλοιώσις καὶ αἰτίδοσις, cum Nestorius concesserit has Propositiones: *Christus est Creator cæli & terræ: Christus est passus & mortuus: rejecerit verò & prorsus inficiatus fuerit illas: Filius Mariæ est Creator cæli & terræ; Filius DEI passus & mortuus.* Latius hæc Hütter. in *F. Concord. art. II. p. 778. ad 786.* & Gerhard. in *Exeg. §. 186 seqq. à p. 1326. ad 1357.* deducunt, perspicuè verò & paucioribus Dn. Menzerus in *Disput. jam allegatâ*

§. 7. Dum verò hic ἀλλοιώσις mentio fit, neminem offendet, si meminerit, à Luthero eam fuisse explosam, prout *F. Concord. ex Lutheri Confessione textum integrum allegat p. 744.* Distingui enim omninò hîc oportet inter *Allœosin Zwinglianam & Oribodoxam.* Prior in eo consistit, ut pro voce *Persona* substituatur *una tantùm Natura*, sicut *Zwinglius in Volum. 2. Opp. p. 407. & 457.* eam definit, & in illa propositione *DEUS est passus*, nomen *DEUS* mutavit in *Humanam naturam* ac ita eam relolvit: *Humana natura Filio DEI unita est passa.* Posterior verò est, quando reciprocè de *DEO* incarnato prædicantur *Humana*, & de *homine* in *DEUM* assumpto prædicantur *Divina*, & de *persona* συνήπτω *Idiomata* utriusque *Naturæ*, *Divina* propter *Deitatem*, & *Humana* propter *humanitatem.* Prior est larva *Diaboli* & repudiatur; Posterior verò retinetur & approbatur, *Aliud* enim est, *Humanam naturam* *Deitati* unitam esse *passam*, & aliud, *DEUM* seu *Divinam personam* *pati* in *assumpta Carne.* Videatur *Disput. integra D. Menzeri quæ est Disp. XXI. Append. Giessens. in T. V. Disp. Marburg. p. 800. seqq. Gerhard. in Exeg. §. 188. p. 1333.*

§. 8. *Fundamentum* cui hoc *Genus* innititur est *Unio personalis.* Per hanc enim fit, ut propria etiam communicata sint, quia *Naturæ* unitæ non nudè sed suis *proprietas* vestitæ venerint in *Unionem*, ut, etsi in *Christo* duæ *naturæ* sint & maneat, distinctæ suis *proprietas*, non tamen *alia* sit *Persona* cui *Divina*, & *alia* cui *humana* *Idiomata* tribuuntur, sed *Uni eadem hypostasi*, seu *Personæ*, quæ subsistit in utraq; *natura*, communicentur seu tribuantur

antur omnia Idiomata, sive Divinae sive Humanae Naturae essentialiter convenient, Chemn. p. 84 a. & b. Hinc quia Unio realis est, etiam Communicatio talis erit.

§. 9. Documentum autem hujus generis manifestissimum, sunt Propositiones illae Biblicae in quibus (1.) de Concreto à Divina Natura denominato praedicantur propria Humanae naturae, 1. Cor. II. 8. Dominus gloriae crucifixus est Act. III. 15. Autor vitae interfecit, Zach. XII. 10. Jehovah confixus est. Act. XX. 28. DEUS proprio sanguine acquisivit Ecclesiam. (2.) In quibus de Concreto naturae humanae seu à Natura humana denominato praedicantur propria Divinae Naturae Joh. VI. 62, Videbitis Filium hominis ascendentem ubi fuit prius. (3.) In quibus Concreto ab utraque natura denominato tribuuntur proprietates uni naturae convenientes sive Divinae sive humanae, Act. XIII. 8. Matth. I. Christus ex Maria Virgine natus est. Rom. VI. Christus mortuus est. 1. Pet. I II. 18. c. IV. 1. Christus passus est. Haec praedicationes omnes invicem arguunt veram & realem Communicationem Idiomatum Divinorum & humanorum ad personam ipsam factam. Non enim in subjecto supponunt naturam tantum unam & alteram, sed ipsam personam, ut bene addiderit Menzer. Diss. alleg. 8. 10. Filium hominis & Filium DEI eodem sensu accipi quo in propositionibus personalibus sumitur: Filius DEI est homo, & Filius hominis est DEUS.

§. 10. Patres hoc Genus uno ore ex Scriptura S. agnoverunt & confessi sunt. In secundo seculo Ignatius & Justinus, p. 87. b. In tertio Tertullianus. ib. In quarto Athanasius, Hilarius, Nazianzenus, Ambrosius p. 88. a. In quinto Cyrillus, Augustinus, Leo, Vigilus, Theodoretus, pag. 88. 89. 90. a. In sexto Anastasius Antiochenus p. 90. a. In septimo seculo sexta Synodus quae est Constantinopolitana Tertia, p. 90. a. In octavo Damascenus p. 89. b. 91. b.

§. 11. Hanc Veterum doctrinam suis seculis Scholastici non incommode nec malè per distinctionem vocabulorum abstractorum & Concretorum tradiderunt, ostendendo 1. abstracta non praedicari de se invicem. 2. Concreta autem naturarum de se invicem praedicari. 3. Abstracta non praedicari de Concretis, & e contra 4. nec

Concreta predicari de Abstractis. 5. Quæ de Humana natura tantum in abstracto dicuntur, non posse predicari de hypostasi. 6. Quædam, quæ de Humana natura rectè prædicantur, non simpliciter & sine additione aliqua de Persona predicari. 7. Idiomatica totius Communicari non partibus, sed Toti & supposito; Et quæ partis humanae natura propria sunt, non communicari Persona λόγος, p. 91. 92. 93.

§. 11. Et quæ ita per omnia secula Orthodoxè de Communicatione Idiomaticum tradita sunt, non mutavit | Lutherus, nec latum Unguem ab antiqua doctrina recessit, sed eodem modo iisdem fermè vocabulis ac terminis ea repetiit & explicavit, quod manifestum est ex disputatione ejus A. C. 1543. habita, ex libro de novissimis verbis Davidis in Tom. IIX. Jenens ex Comm. in c. LIII. Es. in Majore Confessione de cæna, & ex Comment. super c. XIV. Joh. p. 93. 94. 95.

§. 12. Hoc cautelæ locò hîc notare expedit, ante mota Certamina Nestoriana & Eutychiana improprie quandoq; hîc esse locutos Patres & sæpe Concreta pro Abstractis, ac vicissim Abstracta pro Concretis posuisse. Omnino igitur delectus hîc habendus erit in phrasibus, nec temerè quævis formulæ arripiendæ, sed ad res potius ipsas despiciendum, quàm ad incautas quasdam formulas. p. 93. b. 100. b. & 101. a. In quinto etiam seculo hesitare nonnulli cœperunt, an rectè diceretur λόγος seu DEUM pro nobis passum & mortuum, ac Theodoretus quidem tantum illam propositionem: Christus est passus, admittere voluit, ne utiquam verò alteram illam: DEUS est passus. Sed sollicitudines vanas fuisse ostendit Vigilius l. 2. & Cyrillus in Anathematismo XII. additâ declaratione omnes insidias devitavit. | B. Gesnerus in Confess. de Persona Christi p. 125. quinque causas allegat, propter quas credamus DEUM esse passum, & infirmitatibus humanæ naturæ affectum. Perspicuè & uberrimè omnia exponit, Chemn. c. XVI. p. 103. 104. 105. Gravissima ratio est, inter cætera inquit, & plena consolationis, quòd credimus, non Solam aut Nudam Humanam Naturam pro nobis passam seu nudum hominem pro nobis mortuum, sed Dominum gloriæ 1. Cor. II. & DEUM suo Sangvine redemisse Ecclesiam Act. XX. Non enim corruptibilibus redempti sumus, 1. Pet. I. Nec relatione tantum Passio Christi
tri

tribuitur Deo sicut suas passiones Paulus vocat *Passiones Christi*, Col. I. Aliàs enim Passio Christi non esset prestantior passionibus Sanctorum, cum Paulus dicat 1. Cor. I. Num Paulus pro vobis crucifixus est? Sed inde tanta est prestantia & efficacia mortis Christi & passionis ejus, quia Persona Filii DEI eam & voluit & sustinuit in illa Carne, quam hypostatica Unione sibi propriam fecerat, quam etiam ita roboravit, ut posset immensum istud onus sustinere. Atq; ita DEVS verè dicitur passus, quia illa Caro passa est, in qua tota plenitudo Divinitatis habitabat corporaliter. Latè hæc exponit & vindicat. Dn. D. Wellerus *Disp. XV. & XVI. part. 2. AntiMasson.* Quæ inter Johannem Antiochenum & Cyrillum movebantur, tandem sopita fuerunt, dum ita se mutuò declararent, Evangelicas & Apostolicas, de Domino voces, ad unam personam pertinere sed ratione naturarum dividi, ut aliæ ad humanitatem ejus referantur. Videatur Chemn. c. XVI. p. 104. & 105. & in *Locis Theol.* p. 188. 189. 190. Prolixè hæc recenset, & ad Theodoretum argumenta respondet Dn. D. Horneius *Disp. Theolog. part. II. Disp. I. Sect. III. §. 58. seqq. p. 67. ad 84.*

Πόρισμα.

Abstractivæ locutiones à primo genere excluduntur, & ἀνύσως dicitur Deitas est passa, p. 92. b.

§. 1. Non de abstracto Persona loquimur, quod in Scholis Theologorum idem est ac Concretum Natura, sed de abstracto Natura, quod est Humanitas, Divinitas.

§. 2. Sicuti autem non possum dicere Deitas est Humanitas, aut contrà: sicut item Abstracta non possunt prædicari de Concreto in Propositionibus Unionem enunciantibus, ut Filium DEI est Humanam naturam & vicissim: nec Concreta de Abstractis, ut Divinitas est Homo, est creatura: ita quoq; non possum juxta Scripturam dicere: Divinitas est passa. Ratio, quia in hoc Genere Communicatio ad Personam facta est non ad naturas in abstracto. Hinc quando dicitur, propria Humanitatis attribui Divinitati in Concreto, & propria Divinitatis attribui Humanitati in Concreto, Divina natura in Concreto nihil aliud est, quam λόγος, DEI Filius, DEVS scilicet incarnatus.

incarnatus ; Humana natura in Concreto est Hic homo, Filius Mariae &c. Chemn. p. 84. b. 92. a. 94. b. 95. b. 99. b. a. 100. b. 103. b. Videantur Gerhard. in Exeg. §. 198. p. p. 1350. Brochmand. de Christo p. 784. Licet ergo ex nostris Theologis quidam dixerint, Deitatem passam esse, tamen in imitationem id non trahendum est, cum in ipsis Patribus à Chemnitio phrasis hæc ἀκυρολογία postulata fuerit c. XV. p. 99. b. & 100. a. & ostensum, securius paulò abstractum pro Concreto usurpatum ab ipsis fuisse.

§. 3. *Aliud autem est dicere, solam humanitatem esse passam, & Aliud, Christum secundum solam humanitatem esse passam. Prius enim est heterodoxum & ut Apolog. F. C. c. I. p. 3. loquitur, manifestè Nestorianismum redolet: Posterius verò est Orthodoxum. In priori prædicatur passio de Natura: in posteriori enunciatur passio de totâ Persona secundum alterutram naturam. Unde Lutherus in Confess. Majore f. 361. aliq; Orthodoxi, quando usurpant hanc propositionem, tantùm discriminare volunt naturas, & indicare eam, de qua quæstio est, & cujus respectu proprietas personæ attribuatur, nequaquam verò personæ nomen in naturæ vel abstractum mutare. V. Hunnius contra Grabium p. f. 581 Dn. Theol. Saxo. in Apolog. contra Tubing. p. 237.*

III. *Ita autem moderandæ sunt Propositiones primi generis, ut constet, secundum quam Naturam Personæ aliquid tribuatur, c. XII. p. 78. b. C, XV. p. 96. a.*

§. 1. *Personæ, utriusq; naturæ Idiomata tribuuntur, & nõ admittit Unio Personalis talem Divisionem, ut dicere possit proprie: Hec competunt Divina Naturæ Christi, illa humane naturæ Christi. Uti verò per Unionem personalem Divinitas non fit Humanitas, nec Humanitas Divinitas: ita nec, quod est Essentiale Idioma Unius Naturæ, fit substantialis proprietas alterius Naturæ & in abstracto de illa prædicari potest. Ad differentiam igitur Naturarum & harum proprietatum, addi solent particula quibus ostenditur determinatio, ad quam Naturam pertineat Idioma, quod Personæ*

sonæ tribuitur in Concreto. Non enim in primo genere Communicationis Idiomatum prædicatio de Christo fit secundum utramq; naturam. Hæc perpetua Orthodoxorum sententia fuit, uti toto c. X. Sect. IV. Apolog. contra Tubing. p. 786. seqq. Dn. Saxonici Theologi ostendunt. Unde particule in hoc genere sunt Causales, vel ut Scholastici loquuntur, reduplicativa generatim sic dictæ, & significant attributum, quod prædicatur, esse Idioma s. proprietatem essentialem.

§ 2. Hæ particule sunt vel Biblicæ vel Ecclesiasticæ. Biblicæ sunt, quibus ipsa Scriptura in hoc genere utitur, ut sunt Carne, 1. Pet. II. 18. c. IV. 1. In Carne Eph. II. 14. Col. I. 22. 1. Pet. II. 24. c. III. 18. In Spiritu, 1. Pet. III. 19. κατὰ σάρκα, Rom. I. 3. c. IX. 15. Act. II. 10. ἐξ ἀδενίας 2. Cor. XIII. 4. διὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ Ebr. X. 20. διὰ τῆς αἱμάτων Ebr. IX. 12. ὅτι ὑὸς ἀνθρώπου ἐστὶ Joh. V. 27. Ita recenset eas Chemnit. p. 96. a. & addit p. 97. religiosam antiquitatem accuratâ diligentia hanc Scripturæ præmonstrationem fuisse imitatum.

§ 3. Ecclesiasticas particulas longâ serie ex Justino, Ireneo, Tertulliano, Athanasio, Hilario, Nazianzeno, Ambrosio, Chrysostomo, Theodoro, Nysseno, Augustino, Basilio, Cyrillo, Hieronymo, Leone, Fulgentio, Damasceno à pag. 97. ad 100. enarrat Chemnitius.

§ 4. Ex omnibus Ecclesiasticis particulis præ cæteris phrasis καὶ ἄλλο observari debet. Juxta Nazianzenum n. à Chemnicio c. XV. p. 97. b. citatum, & Damascenum p. 89. b. allegatum ἄλλο & ἄλλο ita differunt, ut ἄλλο sit nomen Personæ, ἄλλο verò nomen Naturæ. Et discrimen hujus phræos in Primo & Tertio genere notavit Chemnitius p. 89. b. In Primo enim, notari istâ phrasi, dicit, Subjectum cui formaliter illa prædicata conveniunt: In Tertio verò Genere Causam; & Carnem CHRISTI ibi vivificam dici καὶ ἄλλο, quo Causa significetur, unde & quomodo Caro Christi sit vivifica, non scil. per se, sed δι' ἄλλο & καὶ ἐνωσι. Ubi notandum per Causam hoc loco à Chemnitio intelligi non internam, propter quam affectio vel proprietas formaliter inest naturæ per limitationem istam significatæ; sed Externam, Unionem sc. Personalem quæ Causa est

est propter quam Naturæ Humanæ, per limitationem specificativam in Tertio genere designatæ, tribuuntur αὐχίματα divina. Non enim essentialiter competunt ista Naturæ Humanæ, sed per & propter Unionem Personalem.

§. 5. Etsi verò non semper expressè determinatio addatur, in Propositionibus primi Generis Communicationis Idiomaticum, sed quandoq; saltem, quandoq; verò simpliciter per Communicationem Idiomaticum loquatur Scriptura; semper tamen in Resolutione harum Propositionum particulae distinctivæ adhiberi debent, Chemn. c. XV. p. 96. b. & in illis Propositionibus, quæ scandalosæ esse possunt & offensivæ piarum aurium, si determinatio non statim addatur, nunquam negligi, id quod C. XIV. p. 92. b. ac 93. a. annotavit Chemnitius, ubi exempli locò allegat phrasin hanc: *Christus est Creatura, & Durandi regulam ceu utilem allegat: Proprietas unius naturæ, quæ videtur includere exclusionem proprietatum alterius naturæ, non debet absolutè sine determinatione predicari de Christo, ne simplices vel offendantur vel seducantur, & in illa occasione heretici falsas opiniones spargere possint.*

§. 6. Officium harum particularum non est separare naturas sed saltem distinguere eas & earum proprietates, ne naturarum, quædam Eutyriana confusio fiat, & ut appareat, ad quam naturam formaliter Idioma, de tota persona prædicatum, pertineat. Nec enim necesse est, scribit Chemnit. c. XIII. p. 86. ea quæ in hoc genere prædicantur de persona, convenire utriq; naturæ: sed satis est, si secundum alteram sive Divinam sive Humanam, Personæ conveniant. Hæ enim particulae designant (1.) Subjectum cui prædicata primò & per se conveniunt. (2.) Naturas & naturalia propria distinguunt. (3.) causam ob quam prædicatum de tota persona prædicetur, quia scilicet non tantum naturam, sive humanam sive Divinam habeat, sed etiam istarum naturarum Idiomatica per & propter Unionem personalem sibi appropriaverit. Vid. Gesner. in Confess. Orthodox. de Pers. Christi pag. 130. seqq. & in Disputat. XII. pro libro Concordiæ cap. 2. §. 34. seqq. pag. 312 seqq. ex quo eadem reperierunt Domini Theologi Saxonici in Apolog. contra Tubing. Sect. 2. c. 6. p. 220. seqq.

IV. *Non est otiosa subtilitas in primo genere Communicationis Idiomatum Abstracta à Concretis distingvere, & particulis limitativis prædicata determinare c. XVI. p. 101. seqq.*

§ 1, *Triplex imprimis hujus doctrinæ usus est in Ecclesia. Primus est Didascalicus. Hisce enim loquendi modis recta fides de duabus in Christonaturis, non per conversionem vel confusionem, sed ἁποσπαινωσ, salvâ naturarum & Idiomatum Essentialium differentia, unitis, exponitur & conspicua redditur. Præterea Interpretationis hujus beneficiò duæ istæ Controversiæ in Ecclesia agitari solitæ, una de Maria Virgine, an illa dicenda sit Θεοτόκος? Altera de passione, an ipse Filius DEI vel DEVS fuerit passus? elucidantur. Prius tota antiquitas professa est: Posterius quorundam mentes suspensas primùm habuit. Utrumq; ex primo Genere Communicationis ad Scripturæ ductum fuit decisum & explicatum. Licet enim Maria non naturam Divinam genuerit, tamen quia ejusmodi personam genuit, quæ DEVS & homo est, non concepit & genuit hominem, cui postea unitus fuerit Filius DEI, vel in quo Divinitas in utero Matris per gratiam tantùm habitaret, sed hypostasim Filii DEI incarnatam peperit, non secundum Divinitatem sed humanitatem, p. 102. b. & 103. a. Videatur Gravver. art. II. A. C. p. 71. seqq. Dn. D. Wellerus Tota Disput. XIII. part. 2. AntiMassonii. Ita etiam, quamvis Divinitas sit Impassibilis & immortalis, tamen DEVS passus est, quia una est DEI hominisq; persona. Cap. XV. pag. 100, a. Cap. XVI. p. 105. a. seqq. Vid. Apor. II. §. 9.*

§. 2, *Alter usus hujus Doctrinæ est Elencticus. Refutantur enim hac ratione Nestorius & Eutyches. Nestorius talem tradidit Regulam apud Theodoretum: Quando Christus nominatur DEUS, simpliciter sola Divina natura intelligenda est: Quando verò nominatur homo, sola significatur Humana Natura. Eutyches verò arripiens illam Scripturæ propositionem, Dominus gloriae crucifi-*

cifixus est, ipsam Deitatem Filii DEI per conversionem fecit passibilem. Utriusque error traditæ explicationis beneficio deprehensus & notatus fuit. Uti enim prior naturarum differentias attendens *ex Concreto abstractum* fecit & supposuit, ita posterior particulas distinctivas negligens, quod personæ secundum unam tantum naturam competit, etiam secundum utramque naturam falsò tribuit, p. 101. b. 102. a.

§. 3. *Tertius usus Exegeticus est.* Multum enim hæc doctrina juvat ad genuinam Interpretationem, ad vindicationem & defensionem multorum *Scripturae textuum ab Hereticorum corruptelis*, & ad rectam intelligentiam multarum *sententiarum*

Patrum p. 102. a. b. Pluribus usum exponit.


Gerhard., in *Exeg.* §. 188, 192, 195,


& 200.

F I N I S

AB 42 $\frac{3}{i,9}$

VO 17





15

AD LOCOS

nitii,

O XIV.

COMMUNI-

TATUM,

RPZOVV SS. Theol.

& ad D. Thomæ

Lipfienfi.

1648.

CÖLERL